

cellentiam : ipse elegit infimum locum in præsepio, cum posset deligere summum. Inhiabant omnes divitiis, paupertatem per mare per terras fugiebant : ipse pauperes voluit habere parentes, et laceris pannis involvi, in alieno tugurio nasci. Insidiabantur omnes voluptatibus et deliciis, nemo pati quidquam, volebat : ipse infans hiemali frigore reclinari non in molli lecto, sed aspero fœno et præsepi voluit. Obedire omnibus durum erat, imperare omnes potius et præesse cupiebant : ipse infans, virili licet animo et intellectu, se infasciari, ligari et quaquaversum portari passus est. Nimirum quemadmodum Julius Cæsar, cum feroci impetu Nerviorum, inclinari aciem suam videret, timidius pugnantem militi scutum detraxit, eoque rectus acerrime præliari cœpit; quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit; apud Valerium Maximum, l. III. cap. II. ita Dei Filius cum videret nos scuto imaginis divinæ et rationis lumine segniter et perverse uti, ipse naturam humanam arripere et in ea pugnare, nosque pugnandi modum docere animareque voluit. Hæc est gloria ipsius, nunquam satis laudata.

V. Cernitur in fœno. Fœnum est mundi vanitas et pompa, teste Isaia XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatur fœnum et cecidit flos, quia Dominus sufflavit in eo.* Speciosa res apparet campus viridis aut hortus ornatus floribus, attamen sol ardentior totum illum decorem brevissimo tempore radiis suis resecat. Rapuit ante Christi adventum plerosque homines hujus mundi decor et amœnitas; sed rapuit denique ad peccatum et ad orcum. Venit Dei Filius, sol et lux mundi, et radiis virtutum suarum arefecit hæc flores, ita ut ab eo tempore mundi splendor obtenebresceret et caderet, fieretque in contemptum piis, impiis in confusionem. Unde bene propheta Isaia ait, Dominum sufflavit in eo : quæ enim contemnimus, exsufflare dicimur. Mira infantis gloria, quam prælusit regibus propheta David in sua illa cum Goliatho pugna; (I. Reg. XVII.) quia vicit et stravit Goliathum in funda, lapide et baculo, armatum thorace, hasta et gladio. Quemadmodum Goliathus, ita et mundus tribus armis instructus, hominibus insultavit, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ, I. Joan. II. Sed videte pusillum Davidem, Christum infantem miris aliis armis de mundo triumphantem : funda humilitatis, qua in stabulo inter pecora nasci : lapide paupertatis, qua involvi pannis et reclinari in præsepio : baculo patientiæ, qua sustinere frigora et fœni asperitatem voluit, mundi pompam stravit, pertur-

bavit et confudit, ut infinita humanum multitudinem, deserto mundo, Christum sequi, eremos et monasteria quærere, ad martyria currere, sectatores mundi reprehendere et ridere cœperit; ipsi vero mundi asseclæ despectui haberi, confundi, et Christo palmam cedere. Quanta hæc Christi nati gloria! Dum enim mundi Dominus ea, quæ mundus prius magni æstimabat, sprexit ac neglexit, totam mundi gloriam manifeste condemnavit et vanitatis arguit.

VI. Cernitur in præsepio, in quo reclinatus fuit. In hac enim sua tam humili residentia ac sede existens, commovit cælum et terram, traxitque ad se infimos et summos, juxta prædictionem Aggæi, c. II. *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram et mare et aridam : et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quis unquam audivit infantulum jacentem in præsepio terrorem iniecisse regibus? Commovisse orbem? At hoc infans iste fecit. Commovit terram excitando Romæ fontem olei : omnes gentes, quia terruit et movit Augustum, imperatorem gentium, ut domini nomen deponeret, teste Suet. in August. cap. LIII. terruit Herodem cum tota Jerosolyma, imo conturbavit. Unde S. Augustinus, serm. XXX. de temp. ait : *Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cuna terreat infantis?* Terruit inferos, quia suo in Ægyptum ingressu defecit passim simulacra, dæmonum habitacula, ut testantur veteres. Vicissim traxit ad se pastores et ex oriente reges, denique, quam plurimos infantes, ab Herode propter se occisos; sicque est impletum, quod prædixit Isaia, c. VIII. de hoc infante : *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ.* Damascus similitudo incendiæ exponitur; unde infernum donotat : Samaria partim Deum verum, partim idola colens, pastores Hebræos et magos gentiles notat. Utrosque non solum Christianos, sed etiam sui præcones fecit, et velut prædicatores emisit. Quanta est hæc nati Christi gloria!

Vidimus gloriam Christi in ejus nativitate, quantumvis abjecta, pulcherrime resplendentem. Vidimus in paupertate, humilitate, patientia, obedientia, latere maximam gloriam. Habent ergo pauperes, humiles, subjecti, afflicti, quo se consolentur, imo sibi gratulentur : habent mundi sectatores unde erubescant, et mundum aversentur. Superest ut nos, qui gloriam Christi vidimus in abjecto stabulo, ei conformemur, donec eandem videamus in cælo.

CONCIO VI.

QUÆ OBSEQUIA CHRISTO NATO DEFERENDA.

- I. Obsequium S. Josephi. — II. Obsequium Deiparæ. — III. Obsequium pastorum. — IV. Obsequium angelorum. — V. Obsequium bovis et asini.

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum. Luc. II.

Refert S. Bonaventura, in vita S. Francisci cap. X. eum apud castrum Græci in nocte nativitatæ Christi, triennio ante obitum suum in memoriam nati Christi adornasse præsepe, apportasse fœnum, adduxisse bovem et asinum, accendisse lumina, advocasse fratres et populum, curasse fieri missam super præsepe, in quo ipse evangelium cantavit et populo prædicavit de nativitate Regis pauperis, quem puerum de Bethlehem appellabat. Miles autem quidam virtuosus, D. Joannes de Græcio, Francisco familiaris, ibi præsens vidit puerulum formosissimum jacentem in præsepio, quem Franciscus amplexans excitare a somno videbatur. Placuisse vero Deo hoc obsequium, eventus demonstravit, quando etiam fœnum præsepi reservatum a populo sanavit varios morbos hominum et brutorum. Celebramus et nos nativitatæ Christi, adornavimus etiam ei præsepe : celebramus etiam missam et habemus concionem. Unicum video, quod nobis deest, Franciscus, qui infantem dormientem suo obsequio et devotione amplexetur et excitet, ut suam nobis benedictionem dignetur impertiri. Quare demus operam, ut nos ejus personam agamus, et quidquid ad obsequium Christi necessarium videtur, peragamus. Quis vero id nos docebit? Utique qui præsepi Christi præsentem fuerunt. Audiamus.

I. Exhibeamus ei obsequium Sancti Josephi, qui præsepi adfuit, nequaquam otiosus. At licet Scriptura quid egerit, non loquatur, Sancta Birgitta tamen in suis revelat. libro VII. cap. II. scribit eum ligasse bovem et asinum ad præsepe, et exiisse ac tulisse candelam accensam ad Virginem, et ad murum affixisse, rursumque exiisse. Neque dubium eum, velut lignarium fabrum, præsepe accommodasse, et stabulum expurgasse. Ergo etiam quisque Christianus det operam, ut hoc die bruta et indomita carnis desideria alliget ad præsepe Christi per pœnitentiam, accedatque in corde suo lumen gratiæ divinæ, ut nato Christo hospitium paret. Meminerit virginum sapientum, quæ accensis lampadibus sponso obviantes cum eo intraverunt ad nuptias : insipientum, quæ exclusæ, quia lumine caruerunt. Hodie, me-

dia nocte, venit sponsus de cælo : obviamus igitur ei cum lampadibus. Accendatur lumen percussione silicis, contritione inquam cordis : accendatur ex alio lumen, amore divino considerato, qui ipsum in terras traxit. Nunc tempus emendi oleum, his feriis, ubi tempus, otium, tot exempla provocant ad pietatis opera. Meminerit unusquisque quantopere nuptiarum ille Rex iratus sit, quando unum sine veste nuptiali reperit in nuptiis, mandans eum ejici in tenebras exteriores, Matth. XXII. Magnæ hodie nuptiæ sunt Filii Dei cum humana natura celebratæ, factæ propter nos. Quis ergo sordidus et fuliginosus ibi comparat? Meminerit quomodo Christus turbarit seipsum et protestatus sit, sedente unico Juda proditore ad mensam suam. Invitatur nunc ad mensam Christi : *Nullus hic Judas assistat*, ait Chrysostomus. Expurget quisque cor suum per contritionem saltem, ne Christum e corde excludat. Posuerat Hadrianus imp. Adonidem, Veneris amasium, in loco præsepi, teste S. Hieronymo. Post recepta Jerosolyma S. Helena locum expurgavit. Et quam multi in corde suo Adonidem staturerunt! Ergo vel nunc ejiciant eum. Non stant simul arca cum Dagone, Christus cum Belial in eodem fano. Et quo jure stat Adonis in præsepi Christi, quod est cor Christiani, Christo consecratum? *Foris canes*, clamat Joannes Apoc. ult. sicut et caput Dagon, (qui Veneris idolum erat) et abscessæ manus projectæ sunt ab arca super limen templi, ut insinuaretur e templo cordis christiani ejiciendam esse Venerem et omne peccatum, I. Reg. V.

II. Obsequium Deiparæ. Hæc, Luca teste, infantem Christum *pannis involvit et reclinavit in præsepio*. Faciet hoc Christianus, Christum per s. communionem reclinando in suo corde. Hoc enim ipse cupit. Non dubito, si Christus nunc obambulet civitatem, neminem futurum, qui eum non invitaret in domum suam. Sane quando in domum Zacchæi divertit, alii cives ei hanc gratiam invidentes, murmurabant, quod ad ipsum divertisset. Pia hæc æmulatio nunc exercenda est, ne simus velut cives Bethlehemitæ, qui Christum excluderunt. Sacerdotes omnes ter hodie communicant ex antiquissima consuetudine, cuius testem habemus S. Greg. Mag. hom. VIII. quæ est sup. evang. hujus festi a plusquam mille annis. Et hoc vel ad indicandam triplicem Christi (ut vult Soto) nativitatem : æternam a Deo Patre, temporalem a Virgine Matre, mysticam in corde fidelium per gratiam. Vel ad insinuandum triplicem mundi et Ecclesiæ statum; sub lege naturæ mediis quasi in tenebris constituta; sub lege Moysis, quasi in aurora, majori quadam luce prædita; sub lege gratiæ, quasi claro sole perfu-

sa, totum illustrante mundum. Et tu igitur laice, reclina Christum in corde tuo. Reclina autem sicut Deipara, magna scilicet cum reverentia et devotione suscipe, non projice in cor tuum, quomodo lupi carnes vorant projiciendo ex ore in stomachum, nulla masticatione. Deinde, fasciis eum involve, candidissima conscientia Christum excipiendo, sicut olim solebant lotis viri manibus, femina etiam superinjecta purissima sindone, firmissimum propositum concipiendo, conservandi Dei gratiam: non sis velut impia mater, quæ filium exponit; de qua Thr. IV. quæritur Deus: *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*. Hic enim ponit ova sua in sabulo, soli excoquenda relinquens; unde fit, ut pedibus conculcentur, nec curat gemitus pullorum. Fasciæ sunt præscripta et monita confessarii, quibus continetur infans in cunis, ne excedat anima sacra tua.

III. Obsequium pastorum. Hi deseruerunt greges suos, et cum prius tibias canerent, ut indicat textus Græcus, mox cessarunt, et tibiis utique in sacco reconditis, cucurrerunt ad præsepe, et *cognoverunt de Verbo hoc*: idque post annuntiarunt aliis. Faciet hoc Christianus, si his feriis profanas lætities et sæcularia negotia seponat, et properans suis cogitationibus ad præsepe, agnoscat quantum hodie mundo beneficium a Deo colatum sit: quanta res sit Deum propter nos hominem fieri, infantem, pauperulum, in stabulo nasci, in præsepio reclinari; quantus etiam et quam periculosus morbus debeat esse peccatum, quod tantum medicum e caelo evocavit. Quid enim, si tuus morbus tam gravis esset, ut e novo orbe advocandus esset medicus? Non sis velut cives Bethlehemitæ, qui Christum non agnoverunt, ideoque nec curarunt. Deinde, annuntia eum aliis; filiis pater, paterfamilias domesticis, legantur domi libri pii, audiantur cantica natalitia. Parentes ducant liberos ad præsepia, eisque explicent singula: propter ipsos enim eriguntur.

IV. Obsequium ss. angelorum; nam et hos adfuisse præsepi non est dubium, scribuntque ss. pp. Greg. Nyss. Epiphanius et alii. Non enim aliis solum Christum monstrarunt, sed ipsi adierunt, eique servierunt. Quid vero illi egerunt? Primo, accinebant Christo nato canticum lætitiæ: *Gloria in excelsis Deo*, quia per eum nos fratres et cohæredes suos habituri erant. Jam si lætantur ob hoc angeli, cur non potius nos? Cum dicant: *Natus est nobis Salvator*, illi jam erant in patria, nos adhuc in exilio; illi in triumphante, nos in militante Ecclesia sumus. Quando Themistocles Atheniensis, peritissimus belli dux, a pa-

tria profugus in Persiden, ad Xerxen venit, adeo tanti ducis adventu lætatus est rex, ut subinde exclamavit in somno: *Themistoclem habeo*: sæpeque evigilans, custodes rogaret, an adhuc secum esset Themistocles, teste Plutarc. quia scilicet sperabat se tanto belli duce regnum suum amplificaturum, et præclarissimas victorias obtenturum. Nos qualem et quantum ducem accepimus. Debellavit is, et adhuc debellat omnes hostes nostros, dæmonem, peccatum, mortem, infernum, idemque cælum nobis reseravit. Non igitur gaudeamus? Sed quemadmodum gaudent angeli, sic et nos gaudeamus: *Secundum faciem sanctorum*, ut dicitur Judith. ult. non more mundano. Deinde, accommodarunt se suo regi, descenderunt et ipsi in stabulum de caelo, prætulerunt faciem pastoribus et regibus, nolunt deinceps adorari ab hominibus, sed conservi eorum appellari volunt, Apo. XIX. Sic ergo et Christianus imitetur humilitatem Domini sui. Unde Jeremias, cap. XXXV. ait: *Usquequo delicias dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum*, quasi dicat: Christus vir perfectus patitur se infasciari, ligari et reclinari in præsepi, et tu vis esse liber et dissolutus ac deliciis te dedere? Sane Davidem quando e regia sua profugus incessit nudis pedibus secuta est omnis ejus domus et populus, II. Reg. XVI. videmus jacere in præsepi regem nostrum pene nudum, nos in molli lecto per hos dies stertemus?

V. Obsequium bovis et asini; nam et nos adfuisse scribunt multi pp. et sentit Ecclesia, juxta id Isa. I. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*. Quid vero illi? Mensam, lectum, pabulum, hospitium suum, adeoque quidquid habebant, Christo communicarunt, vel potius cesserunt, et haud dubie halitu suo calido stabulum, adeoque Christum, etiam foverunt in hiemali tempore, loco frigori exposito. Facies hoc tu, si Christo in pauperibus ejus communicates domum, mensam, lectum tuum; si foveas eos foco et fornace tua. Habuit S. Chrysostomus insignem et ferventem orationem de pauperibus hiemali maxime tempore juvandis, tom. IV. ser. de eleemosyn. et collatione, adducitque plures rationes justissimas; quia scilicet in hieme magis urget fames, sicque plus cibi requirunt, densiores etiam vestes propter frigus: ad hæc indigent calido hospitio, æstate non item. Rursum in hieme non inveniunt, ubi manuum labore victum sibi quærant, cum in æstate passim reperiant cibum, quando et radii solis pro amictu eis sunt, possunt sub dio dormire, etc. Hæc ille sollicitus pro pauperibus pater. Nos ergo, si volu-

mus pauperi et nudo Christo in hieme, frigore et stabulo jacenti gratum valde obsequium præstare, ecce possumus in pauperibus ipsius, in quibus ipse famet ac friget. Erit aliquando tempus, cui ipse nos vicissim hospitio suo excipiet, in æternum regnum suum. Id certe præstitit Martha, cui in extrema vitæ periodo, una cum Magdalena apparens, dixit: *Veni, hospita mea dilectissima; quemadmodum tu quondam tua me domo recepisti, sic ego te recipiam in caelestem domum*.

meam. Ita habet ejus vita, apud Ribadeneiram, 29. jul. qui ex S. Antonino addit, Christum apud Tarascum morienti adfuisse, et funebres ejus exequias celebrasse.

Vidimus obsequia, quibus excitare dormientem in præsepi Christum infantem possumus, eique inservire; quæ si ipsi præstiterimus, sperandum foret, ut et ipse non solum nobis, sed et agris ac vineis, domibus et finibus nostris benedictionem suam impertiat.